

Aggeribus spes nulla manet, prosternitur undis,  
 Ubruitur Ponto Frisia tota suo.  
 Millia multa inopum gravibus dejecta procellis  
 Præsidii in villis straminibusque nihil.  
 Inque vices equitant & Luna teste moventur  
 Omnia, prosternunt obvia, Cuncta natant.  
 Cumque pecus Pastore fluit, cum pignore Mater,  
 Currunt cum armentis Sordida tecta Suum.  
 Sic voluit non ferro Fatum properare sed Undis  
 Salsipotens: discat mens pia nosse Deum.  
 Mens etenim recta & puri sibi conscia cordis  
 Hoc plus splendescit, quo magis atteritur.  
 Ast nova vesanos rapuit vehementia fluctus  
 Amasi ut passim terra sinistra natet.  
 Ire jubet procul hinc patriæq; relinquere fines  
 Quum post tot annos nulla serena dies.  
 Incerti quo fata trahant, ubi sistere detur  
 Naufragio ut pulsos littora grata ferunt.  
 Unda locusq; nocent, ast causa valentior illis  
 Anxietas animi, quæ fera, semper adest.  
 Nostraq; continuis liquefcunt pectora curis  
 Ignibus admotis, ut nova cera solet.  
 Nec juvit infaustos toties subiisse labores  
 Sæpius & fessam sollicitare manum  
 Expatiata ruunt & ad huc per flumina campos,  
 Et perit in cassum cura laborq; pius.  
 Contemnit Dominus languentia vota malorum  
 Et sine sincera Religione preces.  
 Illustres virtute viri, quos rara per Orbem  
 Nobilitas, Pallas Sedulitasque ferunt.

\*\*

Vos

Vid. Pag. præced. lin. 12. lege lito pro cito.